

DISTINCTIO XVII

Resoluta ac satis perspicua divisio in generali huius distinctionis, in qua quidem de invisibili Spiritu Sancti missione probe agitur.

IAM NUNC ACCEDAMUS etc. Hic magister determinat de invisibili missione ipsius Spiritus Sancti, et dividitur in duas partes, quia primo circa hoc ponit suam intentionem. Secundo, recitat sibi contrariam opinionem, ibi supra dictum est. Quantum ad primum est sciendum quod tunc Spiritus Sanctus invisibiliter mittitur, cum caritas in cordibus nostris diffunditur, ideo magister duo facit, quia primo de caritate ponit suam propriam opinionem quantum ad essentiam

[176]

caritatis. Secundo, quantum ad augmentum caritatis. Secunda ibi, ‘hic quaeritur si caritas’. Prima pars est praesentis lectionis et dividitur in duas partes, quia primo praemittit suam intentionem. Secundo removet quandam cavillationem ibi, ‘Sed ne forte’. Prima in duas, nam primo ponit suam opinionem. Secundo adiungit suae opinionis confirmationem ibi, ‘ne autem in re tanta’. Et haec in duas, secundum quod duo praemisit, scilicet quod caritas est Deus, et quod est Spiritus Sanctus. Nam primo probat quod caritas sit Deus. Secundo, quod caritas sit Spiritus Sanctus ibi, ‘cum autem fraterna’ etc. Tunc sequitur illa pars, ‘Sed ne forte’, et dividitur in duas: quia primo ostendit quod caritas non solum causaliter dicitur Deus, ut quidam dicere voluerunt verumetiam essentialiter dicitur Deus. Secundo, manifestat quomodo ex hoc Spiritus Sanctus invisibiliter dicitur missus ibi, ‘tunc enim nobis’. Circa istam lectionem quaero.

Quaestio I

An in caritate existens, evidenter cognoscere possit se in illa existere?

Caritatem esse habitum creatum a Deo nobis infusum tota fere Theologorum schola profitetur. Hunc tamen in nobis esse absque peculiari Dei revelatione dignoscere nequaquam possumus, sicuti eum possidentes in actum meritorium, absque peculiari Spiritus Sancti motione exire nequeunt.

UTRUM ALIQUIS existens in caritate? Possit evidenter cognoscere se esse in caritate. Et videtur quod sic. Quia 8. De Trinitate¹ dicit Sanctus Augustinus quod qui diligit fratrem magis novit dilectionem, qua diligit, quam fratrem, quem diligit, et loquitur de dilectione caritativa. Sed fratrem potest evidenter cognoscere, ergo et caritatem. CONTRA, dicitur: Nemo scit, utrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum reservantur incerta. Hic est advertendum, quod sicut ait philosophus 2. Posteriorum, quaestiones sunt aequales numero his, quae vere scimus. Quaestiones autem sunt quadruplices, sicut ibidem patet, puta si est, an est, quid est, et propter quid est. Illarum tamen quaestionum duabus ad praesens dimissis, duas tantum de caritate tractabo. Primo igitur videndum est utrum possimus cognoscere quid est caritas? Secundo, utrum possimus cognoscere an in nobis sit caritas? Tertio, dato quod in nobis sit caritas, utrum per huiusmodi caritatem possimus exire in actum meritorium aeternae beatitudinis sine speciali motione Spiritus Sancti? Et quarto, utrum caritas et gratia sint duo habitus realiter differentes?

QUANTUM AD PRIMUM, utrum possimus cognoscere quid est caritas? Est advertendum quod duplex est notitia quantum ad quid est. Una, quantum ad quid nominis, et illa est facilis,

¹Cap. 8 tom. 3

quia communis enti et non enti, et enti possibili et prohibito, et ideo quo ad id facilis est responsio, quia caritas ut sic est quaedam virtus, qua mediante voluntas elicit perfectum actum meritoriae dilectionis in via et praemiatoriae in patria. Alia est notitia quantum ad quid rei, et haec de caritate est multum difficilis, et hoc probat summa disparitas opinionum quantum ad istum articulum, quia quidam dicunt quod sit virtus creata, quae est habitus formaliter inhaerens voluntati. Alii dicunt quod sit virtus increata, quae est ipse Spiritus Sanctus movens voluntatem ad actum dilectionis. MULTITUDINI igitur doctorum me ad praesens confirmando, teneo primam opinionem, quae probatur sic. Si caritas non esset habitus creatus formaliter inhaerens voluntati, actus meritorie dilectionis non esset voluntarius, quia, sicut motus rei naturalis non existens a principio intrinseco, non potest dici naturalis, sed violentus, sic motus voluntatis non procedens a principio intrinseco non poterit esse voluntarius. 2. Praeterea, illud quod movetur tantummodo a principio extrinseco, movetur ad modum instrumenti, et per consequens non movetur libere, quia non est in potestate instrumenti agere vel non agere, sed de necessitate agit iuxta impetum impellentis. Sed, si caritas non esset habitus inhaerens voluntati, tunc in actibus dilectionis meritoriae voluntas moveretur a principio extrinseco non conferente aliquam vim inhaerentem ipsi voluntati, ergo actus voluntatis non possent esse meritorii, quia non essent liberi. 3. Praeterea, sicut non potest aliquid non album fieri album formaliter, nisi per albedinem sibi formaliter inhaerentem, sic non potest aliquis Deo non carus fieri Deo carus formaliter, nisi per caritatem sibi formaliter inhaerentem. Sed peccator conversus de non caro sit carus. 4. Praeterea, impossibile est de opposito transitum fieri in oppositum, nisi mediante aliqua mutatione, sed in puncto conversionis peccator transit de eo, quod est non carum esse Deo, ad esse carum, aut ergo mutatio fieret ex parte Dei, aut ex parte peccatoris conversi. Non primum, cum Deus sit immutabilis, ergo erit aliquid intrinsece inhaerens formaliter ipsi converso, ratione cuius nunc dicitur esse carus, quod nos appellamus habitum caritatis, quia si solus actus esset, tunc talis dormiens non esset Deo carus, cum pro tunc actum caritatis non eliciat. 5. Praeterea, signum est acquisiti habitus habere delectationem in opere, ut patet 2. Ethicorum²; sed in actibus divinae dilectionis est maxima delectatio, ergo in nobis erit habitus caritatis, ratione cuius in huiusmodi operibus delectemur. SED OPPOSITUM illius conclusionis tenet magister Sententiarum dicens hic in littera, quod ‘caritas est ipse Spiritus Sanctus asistens bonae voluntati ad eliciendum actum dilectionis sive caritatis’, quod ipse, et alii sui sequaces, probat multipliciter. Primo sic: quia non minus Deus immediate operatur in nobis, quo ad ea, quae sunt gratiae, quam quo ad ea, quae sunt naturae, sed Deus non utitur aliquo medio in opere creationis, quando naturam instituit, ergo nec in opera recreationis et gratiae utetur aliquo medio. 2. Praeterea, si ad acum meritoriae dilectionis non moveretur immediate humana voluntas a Spiritu Sancto, tunc tali actui de condigno seu de iustitia non daretur vita aeterna. Consequens est falsum, iuxta illud, ‘Deo reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi in illum diem iustus iudex’. Probatur consequentia, quia, cum voluntas nostra sit finita et actus suus finitus, ergo si habitus seu virtus qua mediante actum meritorium elicit etiam esset finita, tunc in nullo meritum nostrum adaequat de condigno ipsam vitam aeternam, sive donum gloriae, ergo oportet quod talis actus immediate sit a Spiritui Sancto. 3. Praeterea, sicut Deus in creatione produxit aliqua per seipsum immediate propter eorum excellentiam, puta angelos seu substantias separatas, aliqua vero mediante vi productiva naturae communicata. Sic congruum esse videtur, ut in gratuitis operibus nostrae recreationis ad ea, quae sunt excellentissima, nos moveat immediate, haec autem sunt actus dilectionis et caritatis. 4. Praeterea, frustra sit per plura, quod aequè bene fieri potest per pauciora. Sed posito habitu creato ipsius caritatis, adhuc, ut communiter dicitur, non possumus mereri sine speciali motione Spiritus Sancti, cum igitur non magis possit Spiritus Sanctus nos movere, stante tali habitu, quam ipso non existente, quia eius virtus a nullo creato dependet, et Deus et natura nihil faciant frustra, ergo etc. 5. Praeterea,

²Cap. 3

actum prophetiae ratione suae excellentiae [177] immediate sine aliquo habitu medio elicit Spiritus Sanctus in mente ipsius prophetae. Sed actus divinae dilectionis est excellentior quam actus prophetiae. Illa minor patet, quia Apostolus praefert actum caritatis et ipsam caritatem ipsi prophetiae. Maior etiam patet, quia nullus habitus creatus potest intellectum prophetiae ducere in notitiam futurorum. 6. Praeterea, si caritas, per cuius coniunctionem ad nos dicimur Deo cari, esset aliquis habitus creatus, tunc aliquod accidens existens in anima sancta esset carius Deo quam ipsi anima. Sed consequens est falsum secundum omnes doctores. Consequentia probatur, quia propter quod unumquodque tale, et illud magis, ut patet I. Posteriorum. 7. Praeterea, nihil est bonum per essentiam, nisi solus Deus, sed caritas est bona per essentiam. Maior patet, quia omne, quod est citra Deum, sicut est ens per participationem, sic est etiam bonum per participationem. Minor probatur, quia illud est bonum per essentiam quod non potest intelligi non bonum. Sed quamvis omnis alia virtus possit intelligi non bona, cum possit esse informis. Sola tamen caritas non potest intelligi non bona, cum impossibile sit eam esse informem. 8. Praeterea, 8. De Trinitate³ ait Augustinus: ‘Deum diligit, qui dilectionem diligit, quia Deus est dilectio’. Sed illud non sequeretur, nisi omnis gratuita dilectio esset Deus, sicut non sequitur hoc est sensitivum, ergo est animal, nisi omne sensitivum sit animal. Multas etiam alias auctoritates adducit magister tam de sacro canone, quam de dictis sanctorum, quas ad praesens dimitto, quia una responsione pariter ad omnes respondetur. SED QUAMVIS illam opinionem non teneam, ob reverentiam multorum doctorum oppositam partem tenentium, fateor tamen quod praedicta opinio non est adeo periculosa, sicut multi eam videntur aestimare, tria inconvenientiam magistro minus iuste imponentes. Primo videlicet quod actus dilectionis a voluntate elicited sit Spiritus Sanctus, cum talis actus caritas sive dilectio dicatur. Secundo, quod ex puris naturalibus mereri possemus, si sine habitu caritatis infuso eliceremus actum meritoriae dilectionis, quod fuit error Pelagii. Tertio, quod Spiritus Sanctus assumeret animam rationalem in unitatem suppositi, si ipse esset immediatum principium actus nostrae voluntatis, quod dicitur fuisse error Manichaeorum. PRIMUM non est contra magistrum, quia ut patet in textu istius 17. distinctionis, ipse expresse ponit dilectionem inquantum sumitur pro actu nostrae voluntatis esse quid creatum, quamvis ad elicendum huiusmodi actum non requiratur secundum eum habitus creatus, qui caritas nominetur in ipsa voluntate. Ad hoc enim secundum magistrum sufficit immediate ipse Spiritus Sanctus, qui sine aliquo caritatis habitu ipsam voluntatem ad eliciendum huiusmodi actum perfectissime poterit inclinare. Nec secundum est contra magistrum propter duo. Primo, quia magister non posuit quod ex nostris puris naturalibus possemus elicere huiusmodi actum, sed virtute Spiritus Sancti, hoc autem non posuit Pelagius. Secundo, quia quamvis magister non posuit habitum caritatis creatum, posuit tamen habitum gratiae a Deo creatum et animae infusum, dantem ipsi animae esse spirituale et ipsam elevantem super omnia sua naturalia. Propter quod apparet quod non valeat illud commune argumentum, quod fit contra magistrum, quod anima existens in puris naturalibus non potest contingere obiectum simpliciter supernaturale. Nec potest aliquem actum super naturalem elicere circa huiusmodi obiectum. Sed si non haberet in se habitum caritatis creatae, tunc esset in puris naturalibus. Hic magister diceret quod ista minor est falsa, quia anima talis non est in puris naturalibus, quia per habitum gratiae constituitur in esse supernaturali, iuxta illud Apostoli, ‘Gratia Dei sum id, quod sum’. Nec tertium est contra magistrum, quia ad positionem magistri non sequitur quod Spiritus Sanctus assumat talem animam in unitatem suppositi, sed solum quod iungatur huiusmodi animae, sicut motor supereminens iungitur ipsi mobili. Quamvis igitur his bene intellectis rationes quaecunque fiunt contra magistrum, solubiles appareant et eius, ut mihi videtur, positio sine periculo posset substineri, tamen, ut me conformem positionibus modernorum, ad rationes inductas pro magistro breviter respondebo, quamvis rationes alterius partis aequae reputem solubiles, sicut istas, quae inductae sunt pro magistro.

³Cap. 8 tom. 3

AD PRIMUM ergo dicendum, quod Deus et in naturalibus et spiritualibus immediate est causa in genere causae efficientis, non tamen in genere causae formalis. Non enim potest dare esse humanum sine forma humana et ideo dicitur consimiliter quod Deus non potest dare esse carum, sine forma caritatis dantis tale esse, sicut nec daret esse album, quod est effectus formalis albedinis sine albedine. Ad secundum dicendum quod nihil est sic proprium amicorum, sicut convivere, ut dicitur 8. Ethicorum⁴. Ideo lex iustitiae ipsius amicitiae hoc requirit, ut Deus amicis suis forma caritate ipsum diligentibus suum impartiat iocundum convictum, qui est vita aeterna, quam Apostolus appellat coronam iustitiae. Vel potest dici quod quia talis habitus creatus est donum Spiritus Sancti, ac etiam, quia Spiritus Sancti motio specialis requiritur ad actum meritorium, ut patebit in tertio principali, ideo virtute Spiritus Sancti acquiramus de condigno illam coronam iustitiae gloriae sempiternae. Ad tertium dicendum sicut ad primum. Ad quartum dicendum quod illud non potest aequè bene fieri sine caritate. Ad probationem dico quod, quamvis Spiritus Sanctus possit quemlibet effectum producere in esse sine agente secundo, non tamen potest dare quodlibet esse formale sine forma, et ideo diceretur quod non posset dare esse carum sine caritate. Ad quintum dicendum quod maior non est vera, quia donum prophetiae secundum doctores est quidam habitualis influxus factus a Spiritu Sancto, ratione cuius, etiam cessante actu prophetiae, adhuc talis homo vere et formaliter est propheta. Ad probationem dico quod prophetia notitiam futurorum habet dispositive per huiusmodi habitum, sed effective per Spiritum Sanctum influentem sibi huiusmodi habitum. Ad sextum dicendum quod illa regula, qua dicitur propter quod unumquodque tale et illud magis, non tenet in causis formalibus quantum ad denominationes, quae fiunt in effectibus formalibus. Non enim sequitur ‘lignum est album propter albedinem, ergo albedo est magis alba’. Sic proprie loquendo caritas non est cara, sed est illud, quo anima formaliter est cara, sicut simitas non est sima, sed est illud quo nasus formaliter est simus. Ad septimum dicendum quod minor non est vera, si uniformiter sumitur sub maiori. Ad probationem dico quod non sufficit, quod non possit intelligi non bonum ad hoc, quod tale sit per essentiam, sicut est ipse Deus, sed oportet quod sit purum bonum in se comprehendens omne bonum. Ad octavum dicendum quod Deus causaliter et exemplariter est omnis dilectio gratuita, quia est eius propriissima causa. Cum igitur quicumque ordinata dilectione diligit aliquem effectum, quasi necessario habet diligere propriam eius causam, ideo quicumque diligit dilectionem, Deum diligit, quia Deus est omnis dilectio, vel formaliter, si est increata, vel causaliter, si est ab ipso influxa animae amorosae.

QUANTUM AD SECUNDUM principale, utrum possimus cognoscere an in nobis sit caritas, dicendum quod, quantum ex nobis est, puta sine Dei speciali revelatione, impossibile est nos scire certitudinaliter nos habere caritatem infusam seu meritoriam dilectionem. Quia in notitiam talis habitus non possumus devenire, nisi ex actibus dilectionis, vel igitur notitiam de tali habitu haberemus ex substantia actus, vel ex modo actus. Non primo modo, quia etiam nuda potentia sine omni habitu potest in substantiam actus, per nudam enim [178] voluntatem sine omni habitu infuso vel acquisito possumus naturaliter diligere Deum. Nec secundo modo, quia ille modus vel convenit actui ratione habitus, puta quia ex habitu inclinante ille actus dicitur facilis et delectabilis; vel ille modus convenit actui ratione ipsius Dei, puta quia ex acceptance divina ille actus dicitur gratus Deo et acceptus, et per consequens meritorius. Primum modum, quamvis in actu certitudinaliter possimus percipere, non tamen possumus scire, utrum illa facilitatio seu delectatio proveniat ex habitu infuso vel acquisito, quia habitus divinae dilectionis naturaliter acquisitus ex frequentatis actibus faceret actus tales delectabiles etiam in pagano vel iudaeo. Signum enim est acquisiti habitus delectationem habere in opere 2. Ethicorum. Sed secundum modum non possumus ex nobis ipsis aliquo modo scire, nisi Deo revelante, propter quod dixit Apostolus, ‘Nihil mihi conscius suum, sed non in hoc iustificatus

⁴Cap. 4

sum'. SED FORTE diceret aliquis quod secundum philosophum quaestio 'quid est' praesupponit quaestionem 'an est', cum ergo sic se habeat scire ad scire, sicut quaestio ad quaestionem, nos autem possumus scire quid est caritas, cum sit quidam habitus creatus, ut patuit in praecedenti articulo, ergo etiam poterimus scire an sit in nobis. 2. Praeterea, 2. Posteriorum⁵ dicitur quod impossibile est nos habere nobilissimos habitus et latere nos. 3. Praeterea, 8. De Trinitate⁶ dicit beatus Augustinus: 'Sciri aliquid et non diligi potest, diligi autem quod nescitur nequaquam, sed caritas diligitur ab habente caritatem, quia sicut perfectum scire est scire se scire, sic perfectum diligere sive perfecta dilectio est diligere se diligere, caritas autem est perfecta dilectio'. AD PRIMUM dicendum, quod scire 'quid est', loquendo de quid rei, praesupponit scire 'an est' et hoc vel in se, vel in sua causa. Non tamen scire 'quid est' semper praesupponit rem esse in propria existentia. Possum enim scire quid est rosa, nulla tamen rosa actu existente. Etiam comittitur fallacia figurae dictionis, quia cum deberet inferri quod sciremus caritatem esse, infert quod sciamus eam in nobis esse, et similiter est ibi fallacia consequentis, puta caritas est, ergo est in me, vel in nobis. Ad secundum dicendum quod philosophus loquitur ibi de habitibus cognitivis, illi enim non possunt nos latere, et ideo secundum Augustinum 13. De Trinitate⁷ fidem videt unusquisque in semetipso, quamvis non possimus cognoscere utrum huiusmodi fides sit in nobis informis aut formata, quia in hoc fides dependet a caritate. Ad tertium dicendum quod ad hoc, quod caritas diligatur, sufficit quod quidditative cognoscatur. Dato etiam quod quis diligit se diligere, nescit tamen utrum talis dilectio sit super naturalis.

QUANTUM AD TERTIUM principale, posito quod in nobis sit caritas, utrum per huiusmodi caritatem possimus exire in actum meritorium aeternae beatitudinis sine speciali motione Spiritus Sancti? Primo ponam conclusionem, quam tenere propono. Secundo adducam distinctionem cuiusdam doctoris in materia proposita, cuius distinctionis unum membrum, quod ipse multipliciter confirmat, est contra me. Tertio respondebo ad sua motiva. Quantum ad primum dico quod habens caritatem non potest exire in actum meritorium sine speciali motione Spiritus Sancti, quia quanto finis alicuius agentis est altior et magis suam naturam excedens, tanto huiusmodi agens sublimiori, ac specialiori indiget movente sive dirigente. Sed finis deifice diligentis, sive caritatem habentis est sublimissimus et totam suam naturam excedit, ergo non obstante, quod habeat caritatem et gratiam, indiget motione et directione singulari ipsius Spiritus Sancti. 2. Praeterea, illud idem arguit doctor noster exemplo satis familiari dicens: 'Sicut puer habens pennam in manu in actu scribendi se habet ad magistrum ducentem manum suam, sic se videtur habere habens caritatem in opere meritorio ad ipsum Spiritum Sanctum. Sed puer talis quamvis pennam habeat in manu, non tamen ordinate scriberet nisi magister manum suam duceret, ergo etc. 3. Praeterea, plus requiritur ad exercendum opera meritoria, quam ad prosequendum opera naturalia. Sed habens caritatem non potest exercere opera naturalia, nisi sibi suffragetur universalis influentia, ergo quantum ad opera meritoria indigent Spiritus Sancti assistentia et influentia speciali, ergo etc. 4. Praeterea, dicitur: 'Qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt'. Et Isaias ait: 'Omnia opera nostra operatus es, Domine'. Sed qui ab aliquo agitur, ab eodem movetur. SED EST quidam doctor, ut praemisi, qui circa hanc materiam distinguit dicens quod vel intelligitur quod illa influentia specialis sic sit necessaria, quod sine ea habens caritatem nullo modo possit meritorie operari; vel quod sine ea non possit firmiter et perseveranter operari. Primo modo negat praedictam conclusionem, secundo modo ipsam affirmat. Primum probat sic. Sicut res constitutae in esse naturali cum principiis naturaliter operativis se habent ad operationem naturalem, sic res constitutae in esse supernaturali cum principiis supernaturalibus se habent ad operationem supernaturalem, sed res naturales etc.

⁵Tex. cap. 27

⁶Cap. 4 tom. 3

⁷Cap. 2 tom. 3

praesupponunt solum influentiam universalem, ergo etc. 2. Praeterea, nulla res est destituta sua propria operatione, quia secundum Augustinum De civitate Dei⁸ Deus sic res amministrat, ut eas proprios cursus agere sinat. Sed Deus potest illam propriam motionem subtrahere remanente gratia et caritate, et per consequens gratia et caritas habebunt operationem sine huiusmodi motione. Sed quaecunque operatio procedens a gratia et caritate est meritoria, ergo etc. 3. Praeterea, opera de genere bonorum sine caritate facta non sunt meritoria, quae tamen, si fiunt cum caritate, meritoria sunt. Sed dicere quod habens caritatem non possit elicere talia opera sine speciali motione, quae prius sine caritate potuit elicere, est inconueniens, ergo etc. 4. Praeterea, qui habet Spiritum Sanctum non indiget speciali motione Spiritus Sancti, sed habens caritatem habet in se Spiritum Sanctum, iuxta illud ‘Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis’. Secundam partem suae distinctionis probat sic. Ad permanendum immobiliter ac perseveranter in talibus operibus, in quibus magnam patimur difficultatem, necessario indigemus Spiritus Sancti auxilio. Sed propter corruptionem naturae per primi parentis peccatum, et inclinationem fomitis et multitudinem tentationum, quamvis homo sit in caritate, tamen patitur magnam difficultatem in operibus meritoriis, ergo etc. SED ILLAM secundam partem suae distinctionis concedo gratia principalis meae conclusionis. Primam vero nego, quia sicut illud, quod est primum disponens ad introductionem formae naturalis, puta caelum, illud idem est post introductionem coadiuvans in omnibus naturalibus operibus, quae sunt secundum illam formam; sic primum disponens ad introductionem formae supernaturalis est coadiuvans in omnibus operibus, quae fiunt secundum illam formam. Sed primum disponens ad introductionem formae supernaturalis est ipse Spiritus Sanctus secundum suam specialem motionem et singularem influentiam, quia ad hoc non sufficit influentia generalis, alias homo posset se naturaliter disponere sufficienter ad infusionem gratiae Dei et caritatis, cuius oppositum probabitur in libro 2., igitur in omni operatione meritoria necessario concurrat specialis motio Spiritus Sancti, sicut in omni operatione naturali necessario concurrat influentia caeli. AD PRIMUM dicendum quod maior est vera, cum hoc adiuncto, quod sicut se habent res naturales secundum influentiam universalem seu naturalem ad suas operationes naturales, sic se habent res spirituales secundum influentiam spiritualem seu specialem ad operationes supernaturales, et tunc sequitur oppositum illius, quod arguens intendit.

[179]

Ad secundum dicendum quod, si subtraheretur influentia universali, dato quod formae naturales manerent, res tamen secundum eas nihil ageret, sic in proposito, subtracta tali speciali motione Spiritus Sancti, dato quod caritas maneret, homo tamen secundum eam nihil operaretur. Ad tertium dicendum quod talia opera sine praedicto influxu non essent meritoria, ille enim influxus est totius trinitatis, quamvis approprietur Spiritui Sancto. Propter quod, quantum ad personam patris ait filius: ‘Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum’; et quantum ad seipsum, idem filius ait: ‘Sine me nihil potestis facere’; et quantum ad Spiritum Sanctum dicitur in Psalmo 143: ‘Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, et illud spiritus ubi vult spirat’. Ad quartum dicendum est quod est pro nobis, quia per inhabitationem Spiritus Sancti in nobis debemus intelligere specialem influxum Spiritus Sancti, quo specialiter assistit nobis. QUANTUM AD QUARTUM principale, utrum caritas et gratia sint duo habitus realiter differentes? Dico quod habitus caritatis et gratiae sunt duo habitus realiter differentes, quia illi habitus, quorum unus per se respicit essentiam animae tanquam subiectum proprium et immediatum, et alter respicit potentiam, illi necessario differunt. Sed habitus gratiae, sicut immediatum et proprium subiectum, respicit essentiam animae et caritas voluntatem, quae est potentia eiusdem essentiae, ergo etc. Maior patet. Probo minorem, quia gratia dat esse animae,

⁸Lib. 7 cap. 30 tom. 5

iuxta illud Apostoli, 'Gratia Dei sum id, quod sum'. Caritas dat operari secundum opera virtutum, iuxta quod ait Gregorius: 'Magna quidem operatur, si amor est etc'. Cum ergo esse respiciat essentiam, et operari potentiam, ideo etc. AD ARGUMENTUM principale dicendum quod ille qui diligit magis novit dilectionem quam fratrem, quantum ad essentiam actus, non tamen quantum ad modum actus, qui est acceptatio Dei, et quia sine tali modo quamvis dicatur dilectio, non tamen proprio dicitur caritas. Ideo, quamvis aliquis possit se scire diligere Deum, non tamen potest scire, utrum huiusmodi dilectio sit caritas proprie dicta, sive dilectio meritoria, ideo non valet.

Postremae particulae huius distinctionis clara et aperta subdivisio, in qua quidem Magister de augmento caritatis determinans, opinioni oppositae suae sententiae conatur satisfacere.

HIC QUAERITUR SI CARITAS etc. In ista parte magister inquit de augmento caritatis, et tria facit. Quia primo circa hoc movet quaestionem. Secundo ponit suam responsionem. Et tertio addit responsionis suae confirmationem. Secunda ibi, 'his itaque respondemus'. Tertia ibi, 'ut autem certius' etc. Tunc sequitur illa pars, 'supra dictum est', etc. In qua magister adducit opinionem supradictis contrariam et dividitur in duas partes: quia primo ad hoc quod caritas, qua Deum et proximum diligimus, non sit Spiritus Sanctus, adducit istius opinionis probationem. Secundo, adiungit quandam aliam quaestionem ibi, 'hic quaeritur cum Spiritus Sanctus'. Prima dividitur in tres, secundum quod tenentes opinionem istam tripliciter probant suam intentionem. Primo, scilicet ex caritatis divinae et humanae distinctione. Secundo, ex Spiritus Sancti operatione seu causatione. Et tertio, ex caritatis humanae descriptione. Secunda ibi, 'sed aliud est inquit'. Tertia ibi, 'alias quoque inducunt'. Quaelibet istarum partium dividitur in duas, secundum quod magister primo adducit istius opinionis probationem. Secundo, econtra opponit suam responsionem, et partes de se patent. Circa hanc lectionem quaero.

Quaestio II

An habitus caritatis possit augeri?

Nulli dubium videri debet, quin caritas secundum gradus in esse non in essentia augeri possit, cum praesertim forma quaelibet in simplici et invariabili essentia consistat. Unde simpliciter et absolute in infinitum non procedit, licet respective sibi non repugnet; sicuti nec secundum se, nec ex parte Dei, nec ex parte nostri minui, etsi ipsa manente per ullum actum nostrum eam amittere nequaquam possimus.

UTRUM HABITUS caritatis augmentum possit suscipere? Et videtur quod non, quia motus augmenti terminatur ad quantitatem, sed caritas non est quantitas, ergo etc. Maior patet in libro Praedicamentorum et 5. Metaphysicae. Minor similiter patet, quia caritas cum sit habitus oportet quod sit in prima specie qualitatis. CONTRA, si caritas non susciperet augmentum, tunc una caritas non esset maior alia. Consequens est falsum, ergo et antecedens. Falsitas consequentis patet, quia cum secundum mensuram caritatis sit mensura praemii in vita beata, si unus non haberet maiorem caritatem alio, omnes secundum eandem mensuram gloriam possiderent, cuius oppositum salvator insinuat cum ait: 'In domo patris mei mansiones multae sunt'. Hic primo videndum est utrum caritas possit augeri. Secundo, videndum de modo augendi seu suscipiendi magis, et minus tam caritatis, quam ceterarum formarum, quae intenduntur ac remittuntur. Tertio, utrum caritas augeri possit in infinitum. Et quarto, utrum possit minui.

QUANTUM AD PRIMUM dicitur communiter, quod caritas potest augeri, quia forma, cuius proprium principium productivum est liberum, et principium susceptivum est variabile, et poterit esse aliter et aliter dispositum, quantum ad receptionem illius formae, illa poterit augeri; sed caritas est huiusmodi, ergo etc. Maior patet, nam agens propter sui libertatem potest aliter et aliter influere et subiectum propter sui variabilitatem potest aliter et aliter influxum agentis suscipere, et per consequens forma poterit variari seu augeri. Minor de se nota est, quia Deus est proprium principium productivum caritatis, qui in omni sua productione ad extra agit contingenter et libere. Etiam quod anima nostra sive voluntas sit variationi subiecta, experimur quasi omni hora. 2. Praeterea, omnis forma creata habens modum quantitativum potest suscipere augmentum. Sed caritas habet modum quantitativum, ergo. Maior patet. Minorem probo, quia omnis virtus potest comparari, vel ad subiectum in quo est, et sic dicitur qualitas et ut sic potest suscipere magis et minus secundum quod subiecto dat magis seu intensius et remissius esse, secundum maiorem vel minorem dispositionem subiecti; vel potest comparari ad obiectum in quod tendit et sic induit quendam modum quantitativum, eo quod mensuretur ab obiecto, et ut sic dicitur una virtus maior alia etiam in eadem specie, secundum quod fortius tendit in obiectum. Cum igitur caritas [180] sit perfectissima virtus omnium virtutum, ergo etc. SED CONTRA illud videtur esse quaedam opinio, quae dicit quod motus ad caritatem non debet dici augmentum, sed alteratio, quia omnis motus ad qualitatem est alteratio, sed caritas, cum sit virtus, est bona qualitas mentis. 2. Praeterea, omnis motus ad aliquem terminum, qui fit per recessum a contrario, est proprie alteratio, unde philosophus in Topicis loquens de alteratione quae est ad albedinem dicit: ‘Albius esse quod est nigro impermixtius, sed motus ad caritatem est huiusmodi, ergo etc. Probatio assumptae, quia ait Augustinus 83. Quaestionum⁹, ‘secundum quod augetur caritas, minuitur cupiditas, quia caritatis venenum est spes adipiscendorum, nutrimentum eius minutio cupiditatis, perfectio autem nulla cupiditas’. SED ILLA in nullo infringunt illud, quod primo dixi: Auctoritas etiam iam allegata expresse est pro me, quia manifeste ponit augmentum fieri in caritate. Unde idem Augustinus ait Ad Bonifacium et habetur in Glossa I Corinthios 13 quod ‘caritas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici’ AD PRIMUM ergo dicendum quod motus augmenti potest esse ad qualitatem, secundum quod habet modum quantitativum; caritas autem, ut iam patuit, habuit modum quantitativum. Propter enim huiusmodi modum caritas non solum dicitur intensior, sed etiam dicitur maior, iuxta quod ait Salvator: ‘Maiorem caritatem nemo habet’ etc. Ad secundum patet per praedicta.

QUANTUM AD SECUNDUM principale, qualiter augeatur caritas, sunt diversi modi doctorum, quibus declarant formas intensibiles et remissibiles suscipere magis et minus. Doctor enim noster ponit formam magis et minus suscipere non secundum gradus in essentia, quia illos non habet, cum forma sit simplici et invariabili essentia consistens, ut ait auctor sex Principiorum, sed ut ipse ait: ‘forma suscipit magis et minus secundum diversos gradus inesse, secundum quod dat magis et minus esse subiecto, propter maiorem et minorem dispositionem ipsius subiecti. Et confirmatur illa opinio sic. Sicut se habet virtus ad agere, sic essentia ad esse. Sed eadem virtus in nullo variata secundum gradus essentiae magis et minus agit in passum, secundum quod est magis et minus dispositum, ergo essentia essentialiter et intrinsece, sive secundum gradus in essentia in nullo variata, eidem subiecto dat magis et minus esse, secundum quod ipsum subiectum est magis et minus dispositum. 2. Praeterea, gradus formae mutatus in essentia mutat speciem, quia formae sunt sicut numeri, ut patet 8. Metaphysicae. Sicut enim in numeris, quacunque unitate addita vel remota, mutatur species numeri. Sic quocunque gradu mutato quantum ad essentiam formae, mutatur species secundum talem formam. Sed caritas vel albedo et cetera consimilia accidentia in eadem specie manentia suscipiunt magis et minus, ergo huiusmodi susceptio non erit quantum ad gradus in essentia, sed solum quantum ad gradus in

⁹Quaest. 36, tom. 4

esse. 3. Praeterea, si caritas et ceterae huiusmodi formae susciperent magis et minus secundum essentiam suam, tunc in abstracto dicerentur secundum magis et minus. Consequens est falsum, ergo et antecedens. Falsitas consequentis patet, quia dicit philosophus in Praedicamentis quod ‘iustitia non dicitur magis et minus iustitia’. Probatur consequentia, quia quicquid convenit formae secundum essentiam suam, hoc convenit sibi in abstracto. 4. Praeterea, si caritas augeretur secundum partes essentielles sibi additas successive, aut illae partes differrent numero solum et hoc non, quia plura solo numero differentia non possunt esse simul in eodem subiecto; aut differrent specie, et tunc caritas aucta non esset eiusdem rationis, quorum utrumque est irrationabile. 5. Praeterea, Simplicius Super Praedicamenta dicit quod intentio Aristotelis fuit quod formae non suscipiant magis et minus in se, sed pro ut percipiuntur subiectis. AD ILLAS rationes respondet quidam doctor¹⁰, qui est contrariae opinionis. AD PRIMUM dicit quod non est simile de agere et virtute, et de esse et essentia, tum, quia agere differt a virtute, tum quia plura requiruntur ad agere, videlicet subiectum dispositum. SED ILLA solutio nulla est quantum ad ambas suas partes, quia sicut agere differt a virtute, sic esse differt ab essentia, sicut doctor noster probavit in multis suis quaestionibus et tractatibus. Nec valet secunda nota solutionis, quia cum actus activorum sint in patiente praediposito, non minus requiritur dispositio in subiecto ad hoc, quod recipiat esse ab essentia, quam ad hoc, quod recipiat agere a virtute sive potentia, sic ergo nulla. Ad secundum dicit quod pars adveniens non facit caritatem auctam esse alterius speciei, quia non affert novam rationem, sed est aliquid eiusdem rationis cum prima. SED OPPOSITUM istius dicti probat ratio, ideo nisi ad probationes respondeat, solutio non valet. Ad tertium dicit quod formae in abstracto possunt dici maiores, sicut dicitur maior iustitia in uno, quam in alio. Sed magis et minus adverbialiter de ipsis non dicitur, quia talia inhaerentiam praedicati determinant. Nullum autem essenziale praedicatum inest suo inferiori secundum magis et minus. SED NEC illud valet, quia quod iustitia dicitur magna, vel maior vel maxima, hoc non est propter aliquem gradum essentialem, qui sit in ipsa iustitia, sed est propter modum quantitativum, quem fortitur iustitia in ordine ad obiectum, sicut dixi in primo articulo illius quaestionis. Et cum addunt secundo quod nullum essenziale praedicatum inest suo subiecto secundum magis et minus, dico quod verum est, et causa illius veritatis est, quia non habet gradus essentielles. Si enim haberet huiusmodi gradus, tunc posset praedicari secundum eos etiam in abstracto. Ad quartum dicit quod realitates, secundum quas sit formarum intensio, nec distinguuntur specificiter, nec numeraliter, nec aliquo modo praescinduntur ut distincta in actu, sicut nec partes continui dicuntur actu distinguui; dicuntur autem distinguui in potentia, inquantum minor gradus potest esse, exclusa realitate maiori. SED NEC illa solutio sufficit, quia quandocunque aliqua sic se habent quod ab invicem sunt separabilia et ex parte ante et ex parte post, necessario convincuntur ab invicem realiter differre. Sed secundum te minor gradus praecedit huiusmodi realitatem additam et sequitur eam, quia, ut dicis, potest manere exclusa tali realitate, ergo necessario sunt aliquo modo distincta. Omnia autem, quae differunt, aut differunt numero, aut specie, aut genere, aut analogia; quocunque autem istorum dato, apparet et stat argumentum in vigore suo. 2. Praeterea, unum quodque quantum habet de entitate tantum habet de unitate, ergo cum huiusmodi gradum essentiae supervenientem appelles realitatem et omnis realitas sit entitas, necessario dabis sibi aliquam unitatem, quod enim non significant unum, nihil significat, ut dicitur 4. Metaphysicae. Sicut igitur illud superveniens dicit additam entitatem, sic dicit additam unitatem et per consequens etiam iuxta tua principia illa erunt vere aliquo modo distincta. Ad quintum dicit sicut ad tertium, et addit quod ratio albedinis non magis inest maiori albedini, quam minori; nec perfectius inest, quamvis perfectior sit albedo. SED ILLUD quod hic addit multiplicem includit defectum. Primo, quia una albedo non est maior alia, loquendo de magnitudine essentiali, de qua ille doctor ad praesens loquitur, sed solum magnitudine materiali sive fundamentali. Propter quod dixit

¹⁰ Aureolus solvit.

Aristoteles in Praedicamentis: ‘Quanta est superficies, tantam albedinem’ dices quasi dicat. Non ex magnitudinem essentiae competit talibus formis praedicatum hoc, quod dicantur magnae, sed solum ratione extensionis, quam fortiuntur ab extensione suorum subiectorum; secus tamen est de virtutibus, ut patuit superius.

[181]

2. Praeterea, dicere quod ratio albedinis perfectius non conveniat uni albedini quam alteri, posito quod una albedo perfectior sit alia, loquendo de perfectione essentiali, de qua ad praesens ille loquitur, est tollere adaequationem inter diffinitionem et diffinitum, et est dicere quod diffinitio non sit sermo expressivus quidditatis et essentiae rei, quae omnia sunt contra Aristotelem in libro Topicorum et multis aliis locis.

SUNT ETIAM quidam alii, qui directe arguunt contra praedictam opinionem nostri doctoris. Primo sic: si caritas quantum ad essentiam est indivisibilis, ergo quicumque homo existens in caritate haberet tantam caritatem, quantam habet Christus. Consequens est falsum. 2. Praeterea, si caritas augeretur propter dispositionem subiecti, cum talis dispositio intendatur, aut huiusmodi dispositio habet gradus in essentia, aut intenditur ratione alterius dispositionis et sic, vel erit processus in infinitum, vel dabis aliquam formam habentem gradus in essentia, qua data eadem ratione quaelibet alia forma gradus habebit in essentia. 3. Praeterea, si caritas posset augeri propter dispositionem subiecti, eadem ratione posset minui propter indispositionem subiecti. Consequens est falsum. Consequentia patet, quia ut dicitur 1. Posteriorum, ‘si affirmatio est causa affirmationis, tunc negatio erit causa negationis’. 4. Praeterea, esse accidentis non differt ab essentia accidentis, ergo, si suscipit aliquod accidens magis et minus secundum esse, etiam suscipiet secundum essentiam, quia quae sunt eadem et indistincta, quicquid convenit uni et reliquo, ergo etc. 5. Praeterea, si ex sola maiori, vel minori dispositione subiecti forma susciperet magis et minus, tunc aer aequaliter dispositus aequaliter illuminaretur ad praesentiam lunae sicut ad praesentiam solis, cuius oppositum evidenter experimur. 6. PRAETEREA, arguunt quidam alii sic. Si caritas aequae perfecte quantum ad essentiam esset in quolibet beato, tunc omnes aequaliter praemiarentur. Consequens est falsum teste Christo, qui ait: ‘In domo patris mei mansiones multae sunt’. Probatur consequentia, quia praemium non respondet actui, sed habitui caritatis. 7. Praeterea, capacitas superiorum angelorum est maior quam inferiorum, sed perfectio debet esse proportionata perfectibili, ergo, si angelus superior non haberet maiorem caritatem essentialiter quam inferior, tunc inferiori existente beato propter repletionem suae capacitates, superior non esset beatus, quia penes suam capacitatem non esset repletus. 8. Praeterea, Commentator 6. Physicorum ait quod, cum aliquid mutatur de albo in nigrum, partim habet de termino a quo, et partim de termino ad quem, ergo huiusmodi formae essentialiter habent partes. 9. PRAETEREA, arguunt alii hoc idem sic. Si tales formae non haberent gradus in essentia, hoc esset pro tanto, quia essentiae earum sunt simplices. Sed esse non est minus simplex quam essentia, ergo nec haberent gradus in esse. 10. Praeterea, omnis realis alteratio terminatur ad veram qualitatem, sed motus intensionis, quo forma suscipit magis, est vera alteratio, ergo terminatur ad aliquam qualitatem. Sed talis qualitas non potest esse illa, quae praefuit, quia ad illud, quod est actu, non est motus, cum motus sit actus entis in potentia secundum quod in potentia, ut patet 3. Physicorum; nec potest esse totaliter altera forma a prima, quia per hoc prima non intenderetur, etiam duae formae solo numero differentes essent in eodem, ergo erit secundum alium gradum in essentia eiusdem formae, qui vera qualitas dici potest. 2. Praeterea, relatio non potest intendi, nisi intendatur suum fundamentum. Sed participatio formae est quaedam relatio, cuius fundamentum est ipsa forma, ergo non potest maior vel minor participatio esse, nisi forma in essentia sua habeat gradus et partes. SED ILLA, quamvis sint difficilia, tamen solui possunt ex dictis doctoris nostri bene intellectis. Ad cuius

intellectum est advertendum, quod non per omnia consimiliter ponit doctor noster susceptionem fieri in caritate et in ceteris formis, quia licet eidem animae magis dispositae uno tempore, quam alio eadem caritas det magis esse, ut dixit ille doctor, distinctione 17. quaestione 8, tamen Deus ratione suae libertatis sine omni nostra cooperatione potest animae infundere caritatem, et ipsam disponere iuxta libitum suae voluntatis, sicut dixit ille idem doctor eadem distinctione quaestione ultima.

AD PRIMUM igitur argumentum dicendum quod, quamvis in Christo non sint plures partes essentiae caritatis, quia tales partes caritas non habet, est tamen in eo esse carissimum et Deo maxime gratum, quia sicut dicit doctor noster distinctione 17. quaestione II anima Christi tantam recepit gratiam et caritatem, qua sic replebatur eius capacitas tam actualis, quam possibilis, quod si talis anima ulterius fuisset aucta in gratia, non remansisset in eadem specie. Ad secundum dicendum quod, quamvis illud argumentum aliquam apparentiam habeat de aliis accidentibus magis et minus susipientibus via naturali, de caritate tamen et gratia et ceteris virtutibus a Deo per creationem infusis, nihil concludit. Quia omnem talem formam Deus potest secundum magis et minus intimare subiecto, nulla praevia requisite dispositione, ita quod eadem essentia caritatis indivisibilis secundum gradus essentielles, secundum quod magis a suo creatore intimatur subiecto et intimius radicatur in eo, secundum hoc dat magis et nobilius esse subiecto, et magis participatur a subiecto. SED QUANTUM ad susceptionem magis et minus, prout est in rebus naturalibus, tunc doctor nostermet facit illud argumentum contra se 2. suo Quolibet quaestione 14., et respondet ad ipsum sic. Dicit enim quod intensio et remissio, quae est in secundis qualitatibus, reducitur in intensionem et remissionem, quae est in primis qualitatibus, et illa reducitur ulterius in intensionem et remissionem, quae est in raritate et densitate. Haec autem, quae est in raro et denso non reducitur ulterius in aliquam accidentalem dispositionem, sed immediate reducitur in partes quantitativas materiae, quae ex sua natura hoc habent, quod possunt ab agente constringi, et sic intenditur densitas et possunt ab eodem agente distendi et dilatari, et sic intenditur raritas. Et per hoc cessant multae cavillationes, quae a modernis doctoribus inducuntur contra doctorem nostrum, quae omnia procedunt ex ignorantia istius solutionis. ETSI ALIQUIS instaret dicens quod calidum et frigidum, humidum et siccum non debeat reduci ad rarum et densum, quia qualitates primae non debent reduci ad secundas. RESPONDET doctor ibidem quod, quamvis calidum et frigidum etc. sint priora raro et denso per comparisonem ad agens, quia agens calefaciendo rarefacit, raritas tamen et densitas sunt priores quantum ad materiam, quia materia rarefiendo calefit. Et quia illa solutio fit in ordine ad materiam, igitur etc.

AD TERTIUM patebit in quarto istius quaestionis articulo. Ad quartum dicendum quod esse accidentis est quidam modus perfectivus, quem fortitur subiectum ex coniunctione sui cum accidente, qui quidem modus non est essentia accidentis, quia ille modus intenditur et remittitur, secundum quod ipsum accidens magis et minus subiecto intimatur. Ad quintum respondet noster doctor I. Sententiarum distinctione 17. quaestione 8 in solutione quarti argumenti dicens quod non est simile de luce et de formis realibus, de quibus ad praesens est sermo, quia lumen intentionaliter est in medio. Quod probat, quia duae intentiones solo numero differentes a duabus candelis derivatae, possunt simul esse in eadem parte medii, quia si tales candelae in eadem linea ex opposito ponantur, homo existens in una parte videt illam, quae sibi opponitur et existens in alia parte eiusdem lineae videt aliam, quod non contingeret, nisi in omni parte illius lineae essent intentiones ambarum candelarum, quae tamen solo numero differunt. Et [182] quia talia intentionalia dependent quasi totaliter ab agente, quia non solum in fieri, sed etiam in facti esse, et in conservari dependent a suis productivis; hinc est, quod a fortiori agente, puta a sole, aer etiam minus dispositus potest magis illuminari, quam a luna vel debiliori agente aer purior et magis dispositus illuminetur. Hinc est etiam, quod plura lumina simul praesentia

eidem aeri magis illuminant eum quam unum lumen. Quorum omnium oppositum videmus in formis realibus. FORTE DICETUR quod idem videmus in formis realibus realiter a suis agentibus inductis in subiectis. Positis enim duobus calefactibilibus per omnia aequae dispositis, et unum illorum ponatur iuxta unum solum carbonem, et aliud iuxta maximum ignem, non obstante aequalitate dispositionis in eis, illud, in quod agit ille maximus ignis, magis calefit, quam illud, in quod agit solus carbo. Igitur, non solum ratione dispositionis subiecti maioris et minoris forma realis dat magis et minus esse, verumetiam ex virtute agentis, stante eadem dispositione subiecti, possumus ergo dicere quod non solum quantum ad formas intentionales, verumetiam quantum ad formas reales maior effectus inducitur ex virtute agentis in subiectis eodem modo dispositis. RESPONDEO quod, praedicto casu posito, quamvis talia passa in principio sunt eodem modo disposita, perseverante tamen actione praedictorum agentium circa huiusmodi passa, immediate fit difformis dispositio, quia ille magnus ignis ratione sui praedominii super tale passum velociter disponit ipsum, et intense. Propter quod tale passum, quamvis non recipiat plures gradus quantum ad essentiam caliditatis, quam passum alterum, illa tamen caliditas tribuit sibi magis esse calidum ratione maioris dispositionis receptae per actionem ipsius ignis ipsum alterantis. FORTE ITERUM dicetur mihi, posito quod praedicta duo calefactibilia ambo sint summe disposita, ita quod nullum illorum est ulterius disponibile ad calorem, quia utrunque est summe dispositum. RESPONDEO quod, casu posito, carbo ita perfectum daret calorem passo, quod ipse contingeret, sicut maximus ignis; immo una sola scintilla contingens talem materiam summum calorem in ea induceret, quia ipsam incenderet et daret formam ignis.

AD SEXTUM nego consequentiam cum sua probatione, quia non variatur praemium aeternum propter variationem essentiae ipsius caritatis, sed variatur huiusmodi praemium penes maiorem et minorem intimationem ipsius essentiae caritatis in mentibus beatorum, iuxta quam intimationem maiorem vel minorem quilibet beatorum est magis vel minus carus ipsi Deo. Ad septimum dicendum quod, si ex proportionem angelorum vis arguere proportionem caritatis eorum, tunc sicut angeli differunt specie, sic oporteret te dicere quod caritates eorum differrent specie, et tunc Doctor noster concederet tibi gradus essentielles in caritate, quia tales gradus ponit in omnibus differentibus specie. Sed illud non oportet, quia dato quod nullus sit gradus in essentia caritatis, adhuc Deus replebit capacitatem cuiuslibet angeli, secundum quod formam caritatis creando et influendo ipsam intensius vel remissius intimat cuiuslibet menti iuxta suam capacitatem. Posset etiam dici quod cuilibet secundum quod habet maiorem capacitatem, secundum hoc etiam habet maiorem capacitatem, secundum hoc etiam habet maiorem dispositionem, propter quod caritas aequalis, quoad gradus essentiae dat talibus angelis varios gradus quantum ad esse, propter quod unus carior est Deo, quam alter secundum magis et minus esse, quo participant caritatem, ratione cuius etiam a Deo diversimode praemiantur. Ad octavum dicendum quod Commentator non dicit partem nominaliter, sed partim adverbialiter. Ex quo patet quod non est intentio Commentatoris quod ipsum mobile habeat partem unius essentiae et partem alterius essentiae terminorum, sed intendit dicere quod mobile non sit totaliter elongatum a termino ad quem, sicut fuit antequam inciperet motus, nec sit totaliter elongatum a termino a quo, sicut erit postquam completus est motus, sed quod sit in quodam fluxu utrumque aliquo modo contingente. Ad nonum dicendum quod illud non est propter minorem simplicitatem ipsius esse, sed propter varietatem dispositionum, ex quibus contingit quod eadem essentia formae virtualius et minus virtualiter dat esse, sicut enim posito quod agere non sit minus simplex quam virtus, a qua procedit; eadem tamen virtus non mutata forties ageret in materiam magis dispositam quam minus dispositam, sic etc. Ad decimum dicendum quod motus intensionis terminatur ad eandem qualitatem, quae praefuit, quamvis non secundum idem esse, quo praefuit, sed secundum nobilius et virtualius esse, quod tali motu acquiritur in subiecto. Ad undecimum dicendum quod forma est fundamentum illius participationis, non

quomodocunque, sed ut virtualiter continet pluralitatem graduum in esse, quos gradus formaliter communicat subiecto cum capax eorum efficitur per congruentem sui dispositionem, et ideo ut sic, sibi mutuo correspondent fundamentum et relatio, puta esse secundum gradus in esse, et ipsam participatio. SED CONTRA praedictam doctoris nostri positionem sunt in hac materia etiam multorum doctorum opiniones, quamvis aliquae magis directe, aliquae vero minus. Dicit enim quidam Doctor de nostris quod forma suscipiens magis et minus suscipit non solum participatione subiecti magis et minus, sed etiam secundum se, quia materia est propter formam et non econverso, ergo diversa dispositio in materia est propter diversum gradum perfectionis, qui est in forma, puta, quia forma sic requirit, ideo materia sic est disposita, ergo forma non suscipit magis et minus, quia participatur secundum magis et minus a subiecto; sed econverso. 2. Praeterea, motus secundum formam non est aliud quam forma incompleta in ordine ad complementum, cum ergo motus sit partibilis, igitur forma, quae acquiritur per motum secundum se, habet gradus secundum magis et minus. Unde ait Commentator 2. Physicorum, quod in aliis generationibus a generatione substantiae partes oppositi successive recedunt a subiecto, et fiunt in ipso partes generati. 3. Praeterea, id, quod convenit alicui secundum suum esse actuale, et secundum suum esse potentiale, hoc convenit sibi secundum se et secundum essentiam suam. Sed suscipere magis et minus convenit formae secundum suum esse actuale, quia actu sit in subiecto per actionem agentis secundum magis et minus, nihil autem sit actu, nisi potentia prius fuerit, ergo secundum suum esse potentiale, etiam habuit prius esse magis et minus, et per consequens cum sibi conveniat secundum utrumque esse, conveniet sibi secundum se et secundum essentiam suam. SED NEC illa concludunt. Ad primum ergo dicendum quod quamvis materia dicatur esse propter formam ratione dignitatis et perfectionis, quae magis sunt in forma secundum se considerata quam in materia, tamen quantum ad mutuam coexigentiam, non solum materia est propter formam, sed etiam forma propter materiam. Nec valet consequentia, quia quamvis materia sit propter formam, tamen non oportet quod diversi sint gradus in essentia formae propter diversos gradus, qui sunt in dispositione materiae, quia huiusmodi dispositiones sunt ad hoc, ut ipsa materia diversimode perficiatur secundum diversos gradus in esse virtualiter contentos in eadem essentiae formae. Ad secundum dicendum quod motus proprie loquendo non est forma, sicut via non est terminus, quia motus est via in formam. Et si aliquo modo secundum [183] suum esse materiale motus diceretur idem quod forma, ut sic ipse motus non esset divisibilis, nec haberet partes essentialiter distinctas, sed secundum suum esse formale motus est quidam fluxus, et est quid formaliter successivum; et ut sic, non est idem quod forma, cum forma sit secundum suam naturam ens formaliter permanens. Commentator etiam videtur ibi loqui de partibus quantitativis, quia si aliqua magnitudo, quae est calida, debet frigefieri, illa magnitudo non similis relinquit calorem in omnibus suis partibus, sed successive. Ad tertium dicendum quod forma sit per agentis actionem actu in subiecto secundum magis et minus, inquantum subiecto magis et minus disposito per actionem ipsius agentis, forma dat magis et minus esse, et isto modo secundum magis et minus etiam fuit in potentia antequam esset in actu; sed nec nunc actu suscipit magis et minus in essentia, nec tunc ad tales gradus fuit in potentia. Magis etiam proprie diceretur quod forma dat esse secundum magis et minus, quam quod suscipiat esse secundum magis et minus, quia forma non suscipit esse, sed dat esse, et subiectum per formam suscipit esse. Minor ergo est neganda modo, quo ille ponit eam. EST IGITUR alia opinio, quae ponit quod forma suscipiat magis et minus per additionem partis eiusdem rationis cum praecedente, puta caritas per additionem novae caritatis, et sic de aliis. Et probatur sic: sicut trahens sive tendens arcum curvitatē addit curvitati, sic intendens albedinem, sive augens caritatem, albedinem addit albedini, et caritatem caritati. 2. Praeterea, videmus ad sensum quod plumbum additum plumbo totum efficitur ponderosius ex hoc, quod gravitas additur gravitati; et ignis additus igni totum efficitur calidius per additionem unius caloris ad alium; sic igitur eodem modo est in aliis. 3. Praeterea, candela superveniens candela magis illuminat aerem. 4. Praeterea, sicut se habet augmentatio quantitativa ad

quantitatem, sic se habet alteratio intensiva ad qualitatem. Sed illa non potest fieri sine additione novae quantitatis, ergo nec illa sive adventu novae qualitatis. SED ILLA opinio stare non potest, quia vel caritas superveniens faceret unum cum caritate praeexistente, et tunc una caritas esset forma et perfectio alterius, et altera esset subiectum istius, vel maneret ab ea distincta, et tunc duo accidentia realia solo numero differentia essent simul in eodem. AD PRIMUM ergo dicendum quod, quia per huiusmodi tractum subiectum curvitatibus flectitur in extremis ultra suam medietatem, et per consequens ad curvitatibus melius disponitur, propter quod eadem, quae praefuit sine aliqua alia de novo superveniente, dat tali subiecto magis esse curvum. Si vero per continuationem huiusmodi tractus extrema totaliter coniungerentur, tunc dico quod prima curvitas tolleretur et inducitur forma circularis figurae, quae specie differt a prima curvitate. Ad secundum dicendum quod sicut si alba superficies adiungitur albae superficiei, ex hoc non suscipit magis intensive, sic eodem modo de plumbo et igne; in eadem enim parte plumbi nec est maior gravitas, nec magis grave esse, quam ante fuerat. Sicut enim plures homines simul iuncti fortius trahunt navem, nullus tamen eorum propter coniunctionem talem ad alterum est fortior in seipso intrinsece. Sic licet illi plures ignes simul iuncti extrinsece possent in fortiorem actionem, intrinsece tamen ex hoc nullus eorum esset magis calidus, quod si oppositum quandoque appareret, hoc esset pro tanto, quia materia nullius eorum, vel saltem alterius non erat perfecte intensa, vel summe ad caliditatem disposita ante huiusmodi coniunctionem, et facta coniunctione perfecte disponitur, et per consequens intensius esse recipit. Ad tertium dicendum, quod non est ad propositum, ut patuit superius, quia lumen est forma intentionalis. Ad quartum dicendum quod non est simile de quantitate et aliis formis, quia sola quantitas est per se divisibilis in partes eiusdem rationis, ideo ipsa secundum tales partes proprie augmentatur. Nulla autem alia forma est divisibilis in huiusmodi partes, nisi per accidens, puta ratione quantitatis prout fundatur in quanto, et ideo non possunt tales formae intendi vel augeri intrinsece secundum essentias, sed solum secundum esse intensum et remissum penes dispositionem subiecti. SED FORTE dices, Si Deus separaret duos calores, quorum unus suo subiecto dat magis esse calidum, et alter minus esse calidum, adhuc illi calores separati tenerent gradus suos, quamvis essent separati a subiecto, et per consequens ab omni dispositione subiecti. HIC DICERET doctor noster quod nulla qualitas potest separari etiam per potentiam Dei ab omni subiecto, quia hoc implicaret contradictionem, ut ipse probat 2. Sententiarum distinctione 19. quaestione 2. Dato tamen quod ita fiat, tunc dico quod Deus virtute sua conservans huiusmodi accidens in tali gradu perfectionis conservavit in subiecto antequam separaretur, propter quod virtute divina conservante tale esse et operari, aut falsem aequivalens habebit separatum, quale habuit cum erat subiecto et dispositionibus subiecti coniunctum. ALII DICUNT quod prima forma cedit et corrumpitur, et perfectior forma introducitur primam continens in virtute, et sic suscipitur magis, quia in omni motu reali terminus a quo et terminus ad quem sunt impossibiles, ita quod necessario unus abiicitur altero acquisito. Sed in omni motu intensionis terminus a quo est forma remissa, et terminus ad quem est forma intensa, ergo acquisita intense, abiicitur remissa.

2. Praeterea, non minus sunt impossibiles terminus a quo, et terminus ad quem in motu ad formam quam in motu ad ubi. Sed in motu ad ubi, cum terminus ad quem acquiritur, necessario terminus a quo relinquitur, ergo idem quod prius. 3. Praeterea, contraria non possunt esse simul, sed philosophus 5. Physicorum dicit quod minus album et magis album sunt contraria. SED ILLUD dictum non solum est falsum, verumetiam periculosum, quia fide credimus Christi corpus manere tamdiu sub speciebus hostiae, quamdiu manent ibi huiusmodi species, et non ultra. Sed planum est quod illa hostia in accidentibus sive speciebus suis suscipit magis et minus, ergo si in tali motu species primae corrumperebatur, tunc intensus vel remissus huiusmodi speciebus, non remaneret ulterius sacramentum, quod est contra fidem. 2. Praeterea, frigidum praesens calido remittit calorem. Si ergo calor remissus esset essentialiter alia forma a calore

praecedenti, tunc frigidum generaret calidum per se, quia agens naturale per accidens corrumpit, non enim corrumpit, nisi inquantum per se inducit aliquid in materia, ut patet per Commentatorem 12. Metaphysicae. Sed ipsum frigidum non potest inducere frigiditatem, quia illa stare non potest cum calore in illo secundo gradu remisso primo, nec tepiditatem eadem ratione, ergo per se solum induceret calorem, quod est impossibile. AD PRIMUM igitur dicendum quod terminus a quo non est essentia formae absolute et simpliciter, sed est ipsa forma secundum esse, quod dat subiecto penes dispositiones, pro tunc in subiecto existentes antequam talis motus incipiat, terminus autem, ad quem est eadem forma, essentialiter secundum esse acquisitum ex dispositionibus inductis per talem motum, non oportet ergo quod forma prima tollatur, sed sufficit quod cesset in materia, quoad esse primum et incipiat ibi esse quoad esse secundum. Ad secundum dicendum quod maior est vera, sumendo [184] ipsum esse pro termino, non autem sumendo essentiam formae pro termino. Etiam minor est falsa, quia in motu circulari idem punctus potest esse terminus a quo, et terminus ad quem. Ad tertium dicendum quod, quamvis maneat eadem essentia albedinis, quae primo stans cum imperfectis dispositionibus dat minus esse album, et postea inductis perfectioribus dispositionibus dat magis esse album, non tamen manent simul minus album et magis album, eo quod iam esse transierit secundum quod erat minus album, et tantummodo sit esse secundum quod actu est magis album. ALII DICUNT quod caritatem augeri quantum ad essentiam suam potest intelligi dupliciter. Uno modo secundum partes formales, et appellant partes formales talia, sine quibus impossibile est rem esse, sicut est differentia rei vel genus. Alio modo, secundum partes accidentales, quae adveniunt et recedunt, sicut dicimus carnem secundum formam, quae permanet; secundum materiam autem, quae fluit et defluit. Primo modo, ut dicunt, forma non recipit magis et minus. Secundo modo recipit magis et minus. SED NEC illud valet, quia forma simplex non habet partes materiales in essentia sua, nisi per accidens sibi competant, puta ratione subiecti, in quo fundatur. Si illud est quantum, tunc talis forma extenditur et habebit partes accidentaliter sibi competentes. Sed caritas, de qua ille loquitur in illa quaestione, est forma simplex et non fundatur in subiecto quanto. EST IGITUR quidam alius, qui ea, quae ponit, videtur radicaliter ex iam dictis traxisse. Dicit enim quod omnem formam, quae intenditur, necesse est intendi per acquisitionem alicuius realitatis participantis formae illius specificam rationem, quia omne, quod movetur, est in potentia ad illud, ad quod movetur; quia motus est actus entis in potentia secundum quod in potentia, ut dicitur 3. Physicorum. Omne autem quod est in potentia caret aliquo actu, in quem tendit per motum, ut patet 9. Metaphisice. Sed subiectum existens sub forma remissa, vere movetur ad realitatem aliquam pertinentem ad genus qualitatis, ergo necesse est quod aliqua realitas illius generis per intentionem acquiratur. Addit tamen postea quod realitas illa, secundum quam minor caritas perficitur, non potest esse integra caritas et praecise distincte participans realitatem, aut rationem specificam, sicut unum individuum caritatis, sed participat rationem caritatis per quandam reductionem, ita quod potest dici concaritas. Est enim illa realitas omnino impraecisibilis et re, et intellectu. Unde nec per divinam potentiam est factibilis per se, quod capiat esse praecisum et demonstratum, nec est intuitive intelligibilis etiam ab angelico intellectu, sed solum est cointelligibilis. SED ILLA non videntur esse vera, quia talis realitas augens essentiam caritatis necessario a Deo creabitur, postquam creata fuit essentia caritatis, et per consequens ita terminabitur actus creationis ad huiusmodi realitatem, quod non terminabitur ad essentiam caritatis. Quia nulla factio terminatur ad illud, quod ante factum est, quam inceperit talis factio, sed essentia caritatis ante facta est, quam inceperit factio istius realitatis. Omne autem, quod distincte terminat actum divinae creationis, hoc distincte potest a Deo produci per sui omnipotentiam, et distincte potest ab angelo cognosci et potest esse ens demonstratum, quae omnia praecise sunt contra te, ergo etc. 2. Praeterea, omnis realitas, vel est materia, vel forma, vel compositum ex utroque, vel modus alicuius illorum. Sed illa realitas, quam tu ponis, non est materia, quia tunc caritas, cuius rationem specificam participat, esset ens materiale; nec forma vel compositum, quia tunc posset

praecise produci et cognosci, quod tu negas; nec modus, quia modus non augmentat essentiam rei, sed illa realitas superveniens auget essentiam caritatis secundum quod tu dicis. 3. Praeterea, quando aliqua sic se habent, quod unum est maioris perfectionis vel entitatis quam alterum, si illud, quod est minoris entitatis potest habere entitatem praecisam et distinctam sine illo, quod est maioris entitatis, tunc et econverso non repugnat illi, quod est maioris entitatis, habere entitatem praecisam ab eo, quod est minoris entitatis, et maxime potentia Dei in talibus operante. Sed, si caritas augetur in essentia modo quo tu ponis, tunc potest contingere quod caritas superveniens est maioris entitatis, quam praeexistens. Quia uni puero, qui hodie habet minimum gradum caritatis, cras Deus posset infundere maiorem caritatem, quam habeat quicumque beatorum, tunc plane pateret quod caritas superveniens, quam appellas concaritatem esset maioris perfectionis et entitatis, quam caritas praeexistens. Cum ergo illam praeexistens habuerit entitatem praecisam, ergo et huic non repugnat habere entitatem praecisam. 4. Praeterea, aut gradus praeexistens et gradus superveniens sunt essentialiter ordinati, aut non. Si sic, tunc tales gradus necessario differunt specie, quia impossibile esse essentialem ordinem inter ea, quae sunt eiusdem speciei, et sic gradus superveniens non participaret eandem rationem specificam cum praecedente, cuius oppositum tu affirmas. Si non sunt essentialiter ordinati, tunc ita praecisam entitatem poterit habere secundus a primo, sicut primus a secundo, quia in non essentialiter ordinatis, sicut Deus vel natura potest producere primum absque secundo, sic secundum absque primo. AD RATIONEM suam dico quod illud quod movetur motu intensionis, est in potentia ad ulteriorem gradum in esse, non autem in essentia, et illo esse caret, et ideo tendit ad ipsum per talem motum. Est etiam in minori manifesta petitio principii, quia hoc iste deberet probare, videlicet quod subiectum existens sub forma remissa vere movetur ad realitatem aliquam pertinentem ad genus qualitatis, accipiendo realitatem pro parte essentiae ipsius qualitatis.

QUANTUM AD TERTIUM principale, utrum caritas augeri possit in infinitum, dico quod caritas simpliciter et absolute non potest augeri in infinitum, secundum quid tamen et respective potest augeri in infinitum, et sumo hic augmentum intensive et non extensive. Primum probo sic. Omne, quod recipitur in aliquo limitato et finito, secundum suam naturam est limitatum et finitum, et per consequens non potest simpliciter crescere in infinitum; caritas est huiusmodi, et ergo etc. 2. Praeterea, omnis natura, quae est intensibilis et augibilis in infinitum, illa est remissibilis et diminuibilis in infinitum. Unde quia quanto, ut quantum est, non repugnat augeri in infinitum, ergo quantum, ut quantum est, puta mathematice sumptum, est divisibile et diminuibile in infinitum. Sed nec caritas creata, nec aliqua alia forma suscipiens magis et minus est remissibilis in infinitum, alias calefaciens posset per infinitum tempus remittere frigidum, quod nunquam induceret aliquem calorem, eo quod semper aliquid frigiditatis remaneret in illo subiecto. ET SI INSTANTIA ferretur de numeris contra maiorem propositionem, qui augentur in infinitum, non tamen diminuuntur in infinitum, eo quod statum habeant ad ipsam unitatem. RESPONDEO quod haec instantia non est ad propositum, quia nos loquimur de gradibus formae eiusdem speciei, numeri autem differunt specie. SECUNDAM CONCLUSIONEM probo sic. Sicut se habet notitia abstractiva viae ad notitiam intuitivam patriae, sic se videtur habere caritas desiderativa viae ad caritatem fruitivam patriae. Sed si abstractiva viae augetur, sive intenderetur in infinitum, nunquam tamen [185] posset quantum ad perfectionem notitiae aequari notitiae intuitivae patriae, ergo si etc. 2. Praeterea, quandocunque aliqua sic se habent, quod actus unius quamviscumque intendatur non potest aequari actui alterius, nec eius perfectionem attingere, at tamen semper per sui intensionem sibi poterit magis, ac magis conformari, tunc illud, cuius actus sic intenditur, potest dici aliquo modo augibile, sive intensibile in infinitum. Sed actus caritatis viae isto modo sic se habet respectu actus caritatis patriae, ergo etc. Maior patet, quia cum habitus cognoscimus per proprios eorum actus, ideo ex conditionibus ipsorum actuum iudicamus de conditionibus ipsorum habituum. Minor patet, quia

actus proprius caritatis viae est amor desiderii, quod necessario est cum motu et affectione ipsius animi, propter quod dixit Augustinus in Confessionibus suis, ‘Ad te fecisti nos, Domine, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te’. Sed actus proprius caritatis patriae est delectabilissima et beata fruitio et plena mentis quietatio. Sed planum est quod praedictus actus caritatis viae, cum nullo modo possit habere perfectam delectationem et plenam quietationem, nullo modo poterit aequari beatae fruitioni. Quod autem huiusmodi actus caritatis viae possit semper magis conformari actui caritatis patriae. Patet, quia viator existens in statu perfectorum in suis operationibus non est minoris efficaciae, quam existens in statu poenitentium, seu de novo conversorum. Sed existens in statu poenitentium tantae fuit efficaciae gratia Dei sibi cooperante, quod ex merito suo actus suae caritatis magis fuit deputatus, et per consequens actui patriae magis conformatus. Quod patet, quia alias de statu poenitentium non pervenisset ad statum perfectorum, ergo eadem ratione vel potiori hoc ulterius continue poterit promereri. 3. Praeterea, idem confirmo sic. De ratione viatoris est, quamdiu manet viator si inutiliter otiosus non fuerit, semper suo termino poterit magis appropinquare; nam quicquid non contingit terminum, poterit propinquius accedere ad terminum. Sed sola intensio caritatis facit nos appropinquare termino nostrae peregrinationis, quia sicut sola caritas secundum augmentum dividit inter filios perditionis et regni, sic sola caritas iuxta suum augmentum nos facit appropinquare ad huiusmodi regnum. Hoc enim nulla virtus potest secundum se, excepta sola caritate, cum omnis alia virtus possit esse informis, et per consequens sine merito. Dato igitur quod Deus iustum viatorem per infinitum tempus dimitteret viatorem, caritas in infinitum posset augmentari, quamvis nunquam aequaretur caritati beatorum. SED CONTRARIUM primae conclusionis tenens, quidam doctor ponit absolute quod caritas potest augeri in infinitum, quia nec secundum rationem propriae speciei caritas habet terminum, cum sit participatio quaedam caritatis infinitae, quae est Spiritus Sanctus; nec ex parte agentis, quia Deus, qui est infinitus, producit caritatem; nec ex parte subiecti, quia quanto magis caritas intenditur, tanto magis capacitas subiecti augetur, nunquam enim vas aliquod posset impleri liquore, si quanto plus susciperet, tanto habilis fieret ad suscipiendum; propter quod, ut dicunt, in infinitum potest fieri augmentum caritatis. PRAETEREA, eandem conclusionem quidam alii probant sic. Semper ratio et mensura habitus sumitur ab obiecto, cum igitur bonitas divina, quae est proprium obiectum caritatis sit in infinitum diligibilis, ergo etc. 2. Praeterea, perfectibile per caritatem potest fieri in infinitum semper nobilius, ergo caritas potest in infinitum semper augeri et intendi. Consequentia patet, quia semper debet esse proportio inter perfectibile et perfectionem. Antecedens probatur, quia Deus potest in infinitum creare angelum nobiliorem, quia nulla creatura potest exhaustire potentia creatoris, cum ergo voluntas angeli sit proprium subiectum caritatis, ergo etc. 3. Praeterea, ubi terminus ad quem acceditur per intensionem alicuius formae distat in infinitum, ibi crementum illius intensionis potest esse in infinitum. Sed terminus, per quem accedimus, per intensionem caritatis distat a nobis in infinitum, ergo etc. SED ILLA opinio expresse esse videtur contra Augustinum in Enchiridion ubi ait sic, ‘Mitigatur autem cupiditas caritate existente, donec veniat ad tantam magnitudinem, qua maior esse non possit’. 2. Praeterea, nullus motus alterationis potest esse infinitus, ut patet 8. Physicorum. Sed omnis motus intensionis est motus alterationis, ergo etc. 3. Praeterea, si semper intenderetur, sive extenderetur voluntatis capacitas secundum intensionem caritatis, tunc nullus posset esse beatus, quia nunquam repleretur capacitas. Nullus autem beatus esse potest, nisi tota sua capacitas sit plene quietata, et per consequens repleta, ergo etc. 4. Praeterea, causa formalis non potest dare materiae seu subiecti causalitatem materiale seu conditionem materiale, sed receptabilitas seu capacitas est conditio materialis, ideo capacitas non potest augeri in subiecto ex collatione caritatis, ergo etc. 5. Praeterea, talis capacitas voluntatis, quam ponis, vel est idem quod natura voluntatis, et tunc, sicut natura non potest crescere in infinitum,

iuxta illud Augustini 4. Super Genesim¹¹ ‘Omnis natura est certis limitibus circumscripta’, et 2. De anima, ‘Omnium natura constantium est certa mensura magnitudinis et augmenti. Sic talis capacitas idem existens, quod voluntas non poterit crescere in infinitum’. Aut dicit perfectionem additam voluntati, et tunc sequitur idem, quod prius, quia perfectio et perfectibile sunt proportionata; finitum autem et infinitum non sunt huiusmodi, ergo etc. 6. Praeterea, non magis habet Deus rationem infiniti in quantum est causa productiva caritatis, quam in quantum est causa cuiuscumque alterius creaturae. Sed ratione infinitatis divinae non arguitur aliquid productum a Deo crescere infinitum, ergo nec de caritate. Hoc arguere debemus propter Dei producentis infinitatem. 7. Praeterea, si caritas non haberet terminum secundum rationem propriae speciei ex hoc, quod est quaedam participatio infinitae caritatis, tunc cum omnis creatura participet divinam essentiam, quae est formaliter infinita, sequeretur quod nulla creatura esset terminate secundum rationem propriae speciei. Consequentia patet, quia posita eadem causa, sequitur idem effectus.

AD PRIMUM igitur dicendum quod ratio et mensura caritatis creatae sumitur ab obiecto, non secundum adaequationem. Quia sic Deus solus habet caritatem, sed secundum conformitatem obiecti ad potentiam, cum igitur capacitas nostrae voluntatis sit finita, ergo caritas non potest crescere in infinitum simpliciter. Ad secundum dicendum quod illi, qui ponunt quod caritas existens in diversis angelis differt specie sicut et ipsi angeli, illi utique haberent dicere quod, si Deus in infinitum semper produceret nobiliorem angelum, quod semper produceret nobiliorem caritatem. Sed dato quod caritas eiusdem speciei sit in omnibus angelis, tunc potest negari consequentia, quia cum in eadem specie non possint dari infiniti gradus nec in essentia, nec in esse, non videtur, quod aliquid possit in infinitum intendi simpliciter et absolute nisi mutet speciem. Propter quod dicunt sollemnes doctores, quod tanta fuerat gratia et caritas in Christo, quod, si amplius aucta fuisset, non mansisset in eadem specie. Ad probationem dicendum, quod quamvis huiusmodi proportio perfectionis ad perfectibile requiratur in perfectionibus naturalibus, non tamen in supernaturaliter infusis. Unde, quamvis anima Christi quantum ad sua naturalia sit inferior quocumque angelo, iuxta illud Psalmum. ‘Minuisti eum paulominus ab angelis’, caritas tamen Christi maior est, quam sit caritas omnium [186] angelorum simul et unite sumpta. Ad tertium dicendum quod maior est vera ubi accessus ad terminum est successivus, sed sic non est de accessu ad obiectum caritatis, quodlibet enim actu caritatis tale obiectum attingitur. Ad minorem dicendum quod quamvis naturaliter et entitative Deus distet a nobis in infinitum, est tamen cuilibet creaturae intimior, quam creatura sibi ipsi, secundum quod ait Beatus Augustinus in libro Confessionum¹², propter quod cuilibet creaturae potest obiective coniungi secundum beneplacitum suae voluntatis. VIRTUS ETIAM secundae conclusionis impugnatur ab aliquibus sic. Omne finitum per continuum accessum attingi potest maxime ab eo, quod est eiusdem rationis cum ipso. Sed caritas cuiuscumque existentis in patria est finita, eiusdem rationis cum caritate viae, ergo attingi potest quo ad sui aequalitatem per continuam intensionem caritatis ipsius viae. 2. Praeterea, dato quod aliquis in patria habeat tres gradus, et unus viator habeat unum, et idem viator per opera meritoria acquirat secundum gradum, non apparet quare non possit illum tertium gradum attingere, maxime cum sit eiusdem rationis cum isto secundo, quem iam adeptus est. 3. Praeterea, quia doctor noster sic ponit exemplum de angulo contingentiae resultante ex diametro et linea semicirculi. Respondent illi quod exemplum non est ad propositum, quia illi duo anguli sunt diversarum rationum, ideo per crementum unius non pervenitur ad aequalitatem alterius. Sed caritas viae et caritas patriae est caritas eiusdem rationis, immo in eodem homine sumpta est eadem caritas numero. Sed in his, quae sunt eiusdem speciei, per intensionem unius pervenitur ad similitudinem et aequalitatem alterius. SED ILLA non concludunt, nec contra me, nec contra doctorem nostrum. Praesupponit

¹¹Cap. 2 tom. 3

¹²Lib. 5 cap. 2

enim doctor, quod ille proficiens in caritate maneat viator, qua hypothese supposita arguitur sic. Quodcumque aliqua duo sic se habent, quod eis realiter annexa, a quibus absolvi non possunt, sunt diversarum rationum et quodammodo impossibilia, tunc talibus sic permanentibus, per intensionem seu crementum unius non pervenitur ad aequalitatem alterius. Sed caritas viae et caritas patriae sunt huiusmodi, ergo etc. Maior patet, quia non potest fieri coequalitas inter aliqua stante repugnantia inter ea, quae ipsis sunt inseparabiliter annexa, sed minor patet expresse per Augustinum in Omelia, quae legitur in festo Iohannis Evangelistae.¹³

AD PRIMUM ergo dicendum quod, licet caritas viae et patriae sint eiusdem rationis, tamen prout est in viatore, est inseparabiliter coniuncta his, quae differunt ratione ab illis, quae necessario sunt requisita quoad perfectionem caritatis, quae est in patria, puta hic est coniuncta enigmati fidei. Ibi autem clarae visioni obiectum diligibile clarissime demonstranti. Hic anima viatoris reclusa est in carcere molis corporalis, de quo dicitur. Corpus quod corrumpitur aggravat animam et deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem; ibi autem exuta est ab omni molestia corporali. His et aliis multis consimilibus stantibus et permanentibus in viatore, planum est quod subiectum caritatis nunquam tam nobiliter disponetur in via, qualiter in patria, propter quod eadem essentia caritatis nunquam daret esse tam nobile et intensum, quale daret in patria. Cum ergo caritas non suscipiat magis et minus secundum essentiam, sed solum secundum esse, sequitur necessario quod viator manens viator nunquam per suae caritatis augmentum caritati comprehensoris poterit coequari. Sicut enim linea unius cubiti signata in circulo decem cubitorum crescente circulo semper magis dirigitur et accedit ad rectitudinem, et quamviscumque circulus cresceret in infinitum, nunquam pars illa manens in circulo fieret plene recta. Si tamen separaretur a circulo in brevissima morula posset perfecte dirigi, ita quod totaliter esset recta. Sic quamvis caritas viatoris annexa statui praesentis miseriae, quae circulo similatur, eo quod idem sibi respondeat pro fine et pro principio, quia viator de terra oritur et in terram convertetur, quamvis inquam talis caritas intendatur, manens tamen infixa periodo illius praesentis miseriae, nunquam erit plene recta, sicut illa, quae est in patria, rapta vero extra statum praedictum quasi in ictu oculi perfecte dirigitur. Et per hoc patet ad secundum et tertium argumentum.

QUANTUM AD QUARTUM principale utrum caritas possit minui, dicendum quod caritatem posse minui potest intelligi tripliciter. Primo, ex parte caritatis secundum se. Secundo, ex parte Dei. Tertio, ex parte operationis nostrae. Quantum ad primum dico quod habitui caritatis secundum se non repugnat quin minui possit, quia habitui, cui competit augeri, illi secundum se non repugnat minui. Sed caritati, ut patuit in primo articulo, competit augeri, ergo sibi secundum se non repugnat minui. SECUNDO dico quod non repugnat caritati minui ex parte Dei, quia agens liberum, habens plenum dominium super aliquem habitum, si ipsum potest augere, ipsum etiam potest diminuire. Sed Deus per suam gratuitam et liberam influentiam non solum causat habitum caritatis, sed etiam auget, et intendit, et habet plenum dominium super ipsum, ergo etc. TERTIO dico quod ex actibus nostris caritatem possumus totaliter perdere sive amittere. Sed caritate manente per nullum actum nostrum possumus caritatem minuere. Primum patet, quia per peccatum mortale caritas totaliter tollitur, sed nostris actibus possumus peccare mortaliter, ergo etc. Secundum probando unum praesuppono, puta quod cum actus nostri sint triplices, scilicet boni, mali et indifferentes, per bonos actus et indifferentes caritas non minuatur. Tunc arguo sic. Omnis actus noster malus, vel implicat peccatum veniale, vel mortale. Sed mortale non minuit caritatem, quia omne quod minuit aliquid adhuc reliquit. Sed mortale peccatum nihil relinquit de caritate, quia ipsam totaliter tollit. Nec veniale, quia omne finitum totaliter potest consumi per ablationem frequentem alicuius finiti ab ipso. Sed caritas

¹³In exp. Super Ioan, cap. 21 trac. 124

est res finita, cum sit creata, ergo si per unum peccatum veniale posset diminui, tunc per frequentationem et multitudinem talium peccatorum venialium posset totaliter consumi seu corrumpi, et per consequens, cum non habens aliquid de caritate necessario damnetur, sequeretur quod ex solis venialibus sine omni peccato mortali necessario homo damnetur. 2. Praeterea, si aliquis nuper conversus habens minimum gradum caritatis peccat venialiter, aut tale veniale peccatum diminuit aliquid de caritate, aut nihil. Si diminuit, tunc quia minimus gradus fuit, tunc nihil de caritate manebit, et sic, si talis homo moreretur, tunc propter unum peccatum veniale perpetue damnetur. Si nihil diminuit, pari ratione, nec aliquod aliud peccatum veniale diminuere potest. SED CONTRA illam veritatem est opinio quorundam, qui dicunt quod caritas minuitur in sua essentia propter peccata venialia, quia homo multiplicando huiusmodi peccata acquirit habitum cupiditatis, et quanto magis multiplicatur actus huiusmodi peccatorum, tanto magis intenditur inclinatio ad peccandum, et per consequens minor inclinatio sive habilitatio ad bonum. Habilitatio autem ad bonum, ut dicunt, est ipsa caritas, ergo peccata venialia diminuunt caritatem. Et addunt quod sic peccatum veniale diminuit caritatem, quod ipsam tamen non tollit, quia in peccatis venialibus est devenire ad talem terminum ultra quem, si elicitur aliquis actus malus, qui alias esset venialis, ex tunc esset mortalis. Et illud multipliciter probatur. Primo sic, sicut peccatum mortale est totalis [187] aversio a Deo, sic peccatum veniale est aliqualis aversio a Deo. Sed in totali aversione amittitur tota caritas, ergo in aliquali aversione aliququaliter amittitur caritas, ita quod minus diligetur Deus, quam deberet diligere. Propter quod ait Augustinus in libro Confessionum quod ‘Magne Deus minus te amat qui aliquid tecum amat, quod non propter te amat’. 2. Praeterea, illud quod in principio, puta in prima caritatis infusione facit, quod minor caritas infunditur, hoc post infusam caritatem facere potest, ut caritas minuatur. Sed multitudo venialium peccatorum si fuerit in homine, quando primo sibi caritas infunditur, facit ut ei minor caritas infundatur, ergo etc. 3. Praeterea, posito quod nunc sint duo in aequali gradu caritatis, si unus illorum committit veniale peccatum et non alter, peccans minus carus erit Deo, quam non peccans. Sed qui est minus carus Deo, minus habet de caritate, ergo ex peccato veniali caritas diminuta est in tali homine, quamvis totaliter non sit sublata. 4. Praeterea, omne malum, ut malum est, tollit aliquid de bono, sed peccatum veniale est malum, ergo etc. 5. Praeterea, post maiorem caritatem contingit aliquem esse minus dispositum pro caritate, quam antea fuerat. Sed caritas, sicut tu dicis, suscipit magis et minus secundum maiorem et minorem dispositionem subiecti, ergo etc. 6. Praeterea, 83. Quaestionum ait Augustinus¹⁴: ‘Cum augetur cupiditas, minuitur caritas’. SED ILLA non videntur esse vera, quia sicut eisdem actibus generatur et augetur habitus, ut patet 2. Ethicorum, sic ex consimilibus actibus corrumpitur et diminuitur habitus. Sed nullum peccatum veniale potest corrumpere habitum caritatis etiam ut tu ipse dicis, ergo nullum peccatum veniale potest ipsum minuere. AD PRIMUM dicendum quod, licet cum peccamus venialiter, non convertamur ad Deum tanto conatu, sicut debemus, non tamen avertimur a Deo, quia non constituimus nobis alium finem, quem Deo praeferamus, non proprie ergo dicitur peccatum veniale aversio a Deo. FORTE DICETUR quod ex illa solutione illi habeant propositum; quia cum dilectio sit quaedam conversio mentis in Deum, ergo si peccatum veniale huiusmodi conversionem retardat, ergo diminuit caritatem. RESPONDEO quod, licet per ipsa venialia peccata actus caritatis, quo ad suum fervorem tepescat, habitus tamen caritatis integer perseverat. Ad secundum dicendum quod maior potest negari, quia multa sunt, quae rem possunt impedire, dum est in fieri, quae tamen ipsam non diminuunt cum est in facto esse. Ad tertium dicendum quod, licet quantum ad exteriorem apparentiam Deus videatur minus diligere ipsum, qui est in peccato veniali, quam alium, eo quod effectum minus diligentis circa ipsum exerceat, quia ipsum pro tali peccato ad poenam purgatorii ordinat, ex hoc tamen realiter ostendit quod non minus diligit ipsum, quam alium, quia aequale caeleste praemium ambobus reservat; peccatum enim veniale quamvis

¹⁴Quaest. 36 tom. 4

mereatur poenam, non tamen diminuit gloriam. Ad quartum dicendum quod malum venialis peccati, quamvis non tollat illud bonum, quod iam in anima factum est, impedit tamen illud bonum, quod pro tunc, cum tale peccatum committitur, posset fieri in anima viatoris. Vel dicendum quod tollit aliquod bonum, quia facit hominem tepescere quo ad fervorem actus. Ad quintum dicendum quod sicut caritas est a solo Deo, sic immediata dispositio quo ad caritatem in se est a solo Deo, et ideo peccata nostra venialia, sicut non attingunt caritatem, sic nec attingunt immediatam dispositionem ad eam, et ideo de magis disposito non fit minus dispositus respectu caritatis in se, licet respectu annexorum possit peius disponi, puta per inobedientiam et rebellionem virium inferiorum. Ad sextum dicendum quod, si talis cupiditas est veniale peccatum, tunc non potest attingere habitum caritatis, tamen quia per talem cupiditatem vires inferiores redduntur minus habiles ad obediendum imperio voluntatis imperantis secundum rectam rationem, ergo fit homo minus fervidus, quantum ad executionem ipsius actus, et ideo cupiditas minuit caritatem non in se quantum ad habitum, sed solum quantum ad actum. AD ARGUMENTUM principale dicendum quod, quamvis caritas non sit quantitas, tamen habet quendam modum quanti.